

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

## **Desiderii Erasmi Roterodami Paraphrases In Novvm Testamentvm**

Praemissa Est Io. Aug. Noesselt Historia Paraphraseon Erasmi Rot. In  
Novum Testamentum

**Erasmus, Desiderius**

**Berolini, MDCCLXXX**

**VD18 90514300**

In Epistolam Pauli Ad Titum Paraphrasis Per Des. Erasmum Roterodamum.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-14035**

IN  
EPISTOLAM PAULI AD TITUM  
PARAPHRASIS

PER

DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

CAPUT I.

**P**Aulus ego ille servus et cultor addictus, non iam mosaicae legis, ut olim, sed Dei patris, atque idem legatus filii eius Iesu Christi. Porro legationis haec summa est, ut eos, quos Deus elegit ad consequendam evangelicam salutem, invitent non ad legis observationem, aut operum fiduciam, sed ad fidem, quae sola cunctis aperit aditum ad aeternam salutem, ex gratuita beneficentia Iesu Christi, nec ad fidem tantum, verum etiam ad agnitionem veritatis, quae apud ethnicos humanae sapientiae commentis obruta fuit, apud Iudaeos umbris ac typorum involucris obtecta. Veritas, inquam, non quam profitentur huius mundi philosophi, de causis rerum naturalium differentes, sed quae compendio commonstrat, quibus in rebus fit sita vera pietas, cuius et scopus et praemium sit vita aeterna, post hanc momentaneam vitam sequutura, quam hoc maiore fiducia sperare debent in quamlibet gravibus huius vitae malis, primum quod hanc illis promisit non homo quispiam, qui et falli possit et fallere, sed Deus, qui tam non potest mentiri, quam non potest non esse

Deus, deinde quod promisit non casu aut nuper, sed 3  
ante mundum conditum divino et immutabili mentis  
ipfius decreto, fixum ac certum erat facere, quod  
nunc facit. Nihil accessit novi decreto illius, sed quod  
hactenus ob arcanas causas ipfi soli cognitae, tectum  
atque occultum esse voluit, id hoc tempore, quod ae-  
terna sapientia huic negotio destinaret, toti mundo vo-  
luit esse manifestum, neque Judaeis tantum figurarum  
aenigmatis obscuram quamdam umbram ostendi, sed  
aperta sermonis evangelici praedicatione patefieri cun-  
ctis mortalibus, citra discrimen ullum generis aut lin-  
guae. Haec est summa evangelicae doctrinae, cuius  
praedictio mihi non usurpata est, sed delegata, et de-  
legata non ab hominibus, sed a servatore nostro Deo,  
qui non solum vocavit me ad functionem apostolici  
muneris, verum etiam sic iniunxit, ut mihi liberum  
non sit detrectare, quod mandatum est, ne cui levis sit  
nostra auctoritas, aut illius etiam, cui meas vices de-  
legavi. Talis igitur Paulus hanc epistolam scribo Ti- 4  
to, vero germanoque meo filio, non iuxta corporis,  
sed iuxta fidei propagationem, quam in illum transfu-  
di, et in qua ille sic me refert, ut in eo veluti pater  
in filio non supposititio renatus videar. Huic opto,  
ut contingat gratia et pax ab eo, a quo quidquid est  
verorum bonorum proficiscitur, nempe a Deo patre,  
et Iesu Christo unico nostrae salutis auctore. Nam his 5  
opibus cupio filios meos ditescere. Atque ut iam ad  
te sese nostra vertat oratio, quum nossem ingenium  
istius insulae, neque dubitarem, quin opus esset fidei  
pariter ac vigilantia curatore, ea gratia te velut alterum  
me reliqui in Creta, evangelii negotiis alio me vocan-  
tibus, ut quae per nos coepta sunt corrigi, tu nostras  
ibi vices gerens absolvas. Et quoniam solus tot civita-  
tibus, quibus abundat insula, curandis par esse non po-  
tes, constitues in singulis civitatibus episcopos singulos,  
quemadmodum et istinc abiens tibi mandabam, sed ad

6 tantum munus cave, ne quem temere admoveas. Spectatissimus sit oportet, cui tantam provinciam deleges, non solum notae testataeque probitatis, verum etiam alienus ab omni suspitione criminis. Quem quo certius deligas, notis aliquot eum tibi depingam. Si quem cognoveris iis moribus, eaque vitae integritate, ut nihil criminis illi probabiliter possit impingi. Siquis unico matrimonio contentus non praebuerit speciem incontinentiae, si liberos habeat sic institutos et educatos, ut non solum professione religionis christianae, verum etiam vitae innocentia testentur se vere christianos, hoc est, non ob luxum infames, quemadmodum solet vulgus adolescentum, non parum morigeros suis parentibus.

7 Oportet enim eum, qui dignus habeatur episcopatu, in tantum abesse a flagitiis et flagitii suspitione, ut familiae quoque suae et integritatem et famam sibi praestandam esse intelligat. Nam et liberorum admessa parentibus solent imputari. Porro quidquid laedit famam episcopi, hoc redundat in infamiam evangelii. Oportet igitur eum, qui Dei vicibus quodammodo fungitur, cuique ille thesaurus evangelicae doctrinae veluti selecto dispensatori concreditus est, undiquaque inculpatum esse, longe semotum a vitiis istorum, qui vulgo magistratus gerunt, ut qui lubentibus ac volentibus imperet, quique praeter gregis sibi commissi salutem nihil spectet, qui mederi studeat, non opprimere, docere, non cogere, ducere, non trahere, quique persuadeat potius quam exigat, beneficiis ac lenitate vincat magis, quam imperio. Haec qui spectat, eum non oportet esse praefractum, non iracundum, non linguae procacis, quibus rebus citius alienantur homines, quam sanantur, non turpiter avidum lucri, quae res quum in profano magistratu et foeda sit et pestilens, multo magis in episcopo erit detestanda. Nihil enim incorrupte gerit, quem morbus habet avaritiae.

8 Quin potius talis esse debet, ut sua quoque libe-

raliter effundat in hospites refocillandos. Ad haec bonarum rerum avidum, ac bonorum hominum amantem esse decet magis, quam pecuniarum. Idem sobrius fit oportet, iustus innocentia vitae, pius cultu religionis evangelicae, nullis animi perturbationibus obnoxius, sed omnibus cupiditatibus, quibus vulgus mortalium sursum ac deorsum agitur, superior. Sed imprimis constanter tenax evangelici sermonis, quo fit instructus ad docendum imperitos, quae ad rem pertinent, simulque possit sana doctrina exhortari cessantes, denique et contradicentes coarguere. Non temere haec moneo. Sunt enim multi intractabiles, inaniloqui, ac mentium seductores, qui doctrinae evangelicae non auscultantes, pro hac frivolas quasdam et inutiles Iudaeorum fabulas adferunt, quo sibi famam eruditionis et quaestum pariant, per has mentium simplicium aliquot in fraudem illiciunt, sub praetextu religionis irrepentes in animos auditorum, adeo ut aliquoties non unum aut alterum corrumpant, verum etiam totas familias subvertant, docentes absurda quaedam et ab evangelica veritate vehementer abhorrentia, sed tamen evangelii Christique titulo ad quaestum, quem turpiter venantur, abutuntur. His igitur acriter increpitis, oportet occludere os. Sunt autem nonnulli ex gentibus, qui huic malo sint obnoxii, sed potissimum tales eos reperies, qui ex Iudaismo conversi quidem sunt ad Christum, sed insincere, sic profitentes evangelium, ut mosaicam legem admisceant, nec iudaicae superstitionis vitium penitus relinquunt. Nec mirum est in Creta reperiri, qui vaniloquio et noxiis artibus ventrem pascant, quum id ante multos annos Epimenides ipse Cretensis de suis Cretensibus sit vaticinatus. Vaticinium apud hunc sic habet: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri. Hoc adeo verum est elogium, ut oraculum videri possit. An non natura mendaces sunt, qui clarissimam evangelicae verita-

tis lucem non verentur suis fabulis obscurare? An non noxiae bestiae, quae venenum suum passim afflant incautis? An non pigri ventres, qui malunt per falsam doctrinam in otio luxuque vivere, quam pro tuendo **14** evangelio nobiscum esurire ac malis affligi? Quamobrem redarguito istos severiter, quo resipiscant, et relicta fiducia legis, puram evangelii fidem amplectantur, neque praebeant aurem istiusmodi fabulis iudaicis, quibus, omissis Christi praeceptis, ingerunt constitutiunculas hominum, de neomeniis, de sabbatistis, de circumcissione, de lotionibus, de ciborum delectu, de vestitu, de non contingendis certis rebus, de domo septem diebus impura, aliisque his consimilibus, quae Deus pro tempore praecepit olim Judaeis observanda, partim ut gens alioqui rebellis et intractabilis, multitudine praeceptorum coerceretur, partim ut ista veris rebus velut umbrae praeluderent, sed quae nunc adeo nullum usum habent, si quis iudaico more pergat observare, ut nulla res magis avertat ab evangelica veritate. Nec enim ullum genus pertinacius rebellat evangelio, quam Judaeorum, non valentium istas nugas relinquere. Hic, inquit, cibus impurus est, ne vescitor, hoc corpus immundum est, ne contingito. **15** Facessant apud christianos ista discrimina, quibus puris omnia pura sunt, nihil execrantibus, quod optimus Deus ad usum hominum condidit. Ut autem pure christianis nihil est impurum, ita Judaeis animo impuris nihil est purum, ne ea quidem, quae lex ut pura permittit. Quum enim diffidant ei, qui post evangelium proditum voluit haec omnia non iuxta carnalem sensum observari, sed ad animi negotia referri, quid istis potest esse purum, quorum et mens est inquinata diffidentia, et vita contaminata luxu, ambitione, avaritia, caeterisque morbis? Legem mordicus tenent, et legem non intelligunt, praepitium habent circumcisum, mentem incircumcisam, lotis manibus ac pedibus ingre-

ingrediuntur, animum et conscientiam habent illotam, observant otia sabbatorum, sed interim peccus habent odio, ira, ambitione, caeterisque perturbationibus irrequietum. Metuunt inquinari, si gustent carnem suillam, et mundos se putant, quum avide hauriunt turpiloquium obtrectationemque. Impios se putant, si contigerint cadaver, nec interim abhorrent a contactu scorti, aut rei furtivae. Nefas esse ducunt, uti veste lino lanaque permixta, nec sibi displicent, quum peccus habeant tot sceleribus opertum. Impudenter igitur iactant se solos nosse Deum, quum illum prae caeteris mortalibus, factis abnegent. An non abnegant, dum veris animi sordibus obliti, sunt abominabiles, dum per incredulitatem intractabiles, denique dum ad omnia verae pietatis officia, quibus Deum demeremur et agnoscimus, peius se gerunt, quam mortales caeteri?

## CAPUT II.

**S**ed valeant illi cum suis fabulis, te nihil commoveat istorum improbitas, quo minus memineris officii tui, eaque loquaris, quae digna sunt vere evangelica doctrina, hoc est, quae nos puris affectibus purisque moribus Deo commendent, et Christi declarent esse discipulos. At quae sunt ista, inquires? Nimirum seniores admonebis, ut sobrii sint, advigilantes ad officia pietatis, et aetatis torporem, fidei alacritate vincant, ut graves sint, neve indecore praeter aetatis rationem juveniliter ineptiant, et moribus compositis ac modestis, quo reverendi sint iuventuti, ut moderati, ne, quod vulgus senum solet, morosi sint et ad iram faciles, ut spectati fiat et inculpati, non solum integritate fidei, verum etiam in obeundis caritatis officiis, in tolerandis incommodis, praesertim ob evangelium

- 3 Christi. Anus ad eundem modum admonebis, ut eo cultu habituque utantur, qui deceat religionem professos Deoque dicatos, ne sint calumniatrices alienae vitae, qui morbus esse solet et sexui illi et aetati peculiaris, ne multo vino deditae, etiamsi illi aetati concedendus est vini usus, sed moderatus; et puellas honesta doceant, non lenocinium, easque sic instituant, ut  
4 prudentes sint, ut maritos suos diligant, ut liberos  
5 ament, ut sobriae sint, ut castae, ut domi assiduae sint, rei familiaris curam agentes. Haec enim praecipua mulierum laus, ut maritis suis subditae sint ac morigerae, ne ob harum mores infametur nomen Dei, cuius religionem profitentur. Quum enim in his officiis videamus et ethnicorum uxores probe se gerere, quid dicturi sunt, si conspexerint Christi religionem profitentes, in eisdem esse deteriores, quas decebat omnibus  
6 modis antecedere? Iam quod anus ex tua institutione docent puellas, idem tu docebis adolescentes, exhortans illos, ut sobrii sint, ac moderatis affectibus,  
7 ne calor aetatis illos praecipites agat. Atque quo haec persuadeas efficacius, in primis praebe te ipsum exemplar honestarum actionum, idque in omni pietatis officio. Neque enim quisquam facilius persuadet, quam qui constantè id facit, quod faciendum esse docet. Sic igitur docebis iuventutem, ut interim inter docendum praestes integritatem vitae, nullo vitio corruptae, gravitatemque, quae commendet auctoritatem docentis.  
8 Itaque sermonem omnem modereris ac vitam, ut nihil sit quod possit contemni, ut non solum ii, quibus praescribis, obtemperent, verum etiam fiat, ut eos, qui ante adversabantur evangelio, iam pudeat suae maledicentiae, ubi viderint omnia sic esse integra, ut etiam observantes ac venantes quod calumnientur, nihil tamen reperiant, ob quod vobis merito obtrectent.  
9 Servos hortare, ut heris suis subditi sint, ac morigeri sint in omnibus, ne professione religionis facti videan-

tur incommodiores, et incipiat imputari evangelio, quod hominum vitio peccatur. Ne sint igitur respon- 10  
satores, ac detrectantes iussa dominorum, ne suppilato-  
res, quemadmodum vulgus servorum solet, ut qui fi-  
dem evangelicam profitentur, in omni officio praestando  
dominis fidos sese et integros declarent, etiamsi illi pa-  
rum promereantur, ut suis honestis moribus commen-  
dent et ornent doctrinam servatoris nostri Dei, quo  
plures ad eam amplectendam alliciantur, si conspexe-  
rint hanc professos, ad omnia vitae commercia reddi  
commodiores ac magis amabiles. In hoc enim per 11  
evangelicum illuxit antehac ignota beneficentia clemen-  
tiaque servatoris nostri Dei, et illuxit non Judaeis mo-  
do, verum ex aequo cunctis hominibus, non ut legis  
onere liberati, nostro viveremus arbitrio, sed erudimur, 12  
ut posteaquam per baptismum condonata nobis sunt su-  
perioris vitae commissa, et iurantes in verba Christi,  
semel renuntiavimus impiae religioni, cultuique simula-  
crorum, simulque mundanis cupiditatibus universis, post-  
hac ita vitam agamus in hoc mundo, ut appareat nos vere  
renatos in alios homines, et qui prius serviebamus impie-  
tati, flagitiis, variisque cupiditatibus, quae nos inescabant  
ad turpia, deinceps praestemus temperantiam, ut nul-  
lis humanarum rerum cupiditatibus perturbemur, prae-  
stemus iustitiam, ut benemerentes, quod in nobis est,  
de omnibus, neminem laedamus, ut cultum, quem  
praestabamus daemonibus, nunc sincera professione pu-  
raque vita praestemus Deo. Quod si interim pauper-  
tate, nuditate, infamia, convitiis, carceribus, cru-  
ciatibus, variisque malis affligimur, ne putemus steri-  
lem esse pietatem nostram, neque venemur huius vitae  
praemiola, quae nec magna sunt, nec diuturna, sed  
expectemus eximium illud praemium immortalitatis, 13  
quae tum continget, quum peracto hoc seculo, quo  
per afflictiones et ignominias exercentur adhuc mem-  
bra Christi, Deus pater profligatis omnibus malis ape-

riet gloriam ac magnificentiam suam in suis cultoribus, iam non humilis apparens, sed gloriosus, et impiis formidabilis, simulque cum patre apparebit eadem gloria conspicuus dominus ac servator noster Iesus Christus, membris suis eandem immortalitatis gloriam impartiens, qua praefulget ipse. Is ne quis diffidat huius promissis, in hoc volens ac sciens tradidit se in mortem, seque totum nobis impendit, ut ipse ab omni peccato immunis, pretio sui sanguinis nos redimeret a tyrannide diaboli, cui nostris flagitiis eramus obnoxii, et abolitis semel superioris vitae maculis, pararet sibi novum quemdam ac peculiarem populum, qui ad ipsius exemplum, contemptis huius mundi malis, calcatis huius vitae illecebris et auctoramentis, bonis operibus ambiret immortalitatis haereditatem, quam ille pollicetur omnibus, evangelicam professionem pure casteque servantibus.

## CAPUT III.

**H**Aec tu, mi Tite, loquere, multum a iudaicis illis fabulis dissidentia. Ad haec exhortare, ab his desidentes redargue summa cum auctoritate, ut quibus doctrina non persuadet, quos non movet blanda exhortatio, eos coerceat acris ac severa reprehensio. Sunt enim quaedam vitia, quae severitate sananda sunt. Hic gravitatem et auctoritatem episcopi profer, et ita te gere, ne quis te merito possit contemnere. Fastus et supercilium abesse debet, auctoritas quoties res postulat, est adhibenda. Porro quales modo volebam servos esse erga heros suos, licet ethnicos, tales velim te monitore esse christianos omnes erga eos, qui principatum gerunt, aut magistratibus funguntur, licet a christiana professione sint alieni. Siquidem illud modis omnibus agendum, ne quis ex nostris moribus ansam

possit arripere, alienandi se ab evangelio. Id autem fieret, si qui funguntur publicis muneribus, sentiant nos ob professionem susceptam caeteris esse seditiosiores ac ferociores, minusque dicto audientes. Mox enim imputantes hoc evangelio, magis etiam alienabuntur ab illius professione. Admone igitur eos, qui Christum professi sunt, meminerint, non ideo se liberos esse a publicis legibus, et auctoritate principum ac magistratum, imo tanto magis convenit illis subditos obtemperare, dictoque audientes et ad omne opus bonum paratos ac promptos esse, ut non coacti metu poenae, sed sponte quod honestum est exsequi videantur. Si recte imperant illi, iniquum est, imo pessimi exempli est, non obedire publicae potestati, si durius imperant, si premunt inclementius, si exigunt immoderatus, nullos magis decet lenitas ac tolerantia, quam Christi discipulos. Quidquid imperant, quod non adimat nobis pietatem, in eo obtemperandum est. Adimunt facultates, crescit pietatis thesaurus, eiiciunt in exilium, nusquam non adest Christus. At dixerit aliquis, <sup>2</sup> impii sunt, simulacrorum cultores, manifestis sceleribus inquinati, hostes nostrae religionis. Suo periculo tales sunt, non est nostrum illos condemnare, sed, si licet, emendare. Melius autem obsequiis, lenitateque et exemplo bonae vitae emendantur, quam rebellione aut convitiis. Illos suo iudici relinquamus, nos quid nobis dignum sit meminerimus. Christus deprecatus est etiam pro convitiantibus, tantum abest ut maledicta regesserit. Qui convenit igitur, ut huius discipuli in quemquam sint contumeliosi, ut litium amantes? Quin potius ad exemplum eius, cuius nomen profitentur, praebeant sese humanos, omnem mansuetudinem exhibentes, non solum erga probos ac promeritos, verum etiam erga omnes homines; erga probos, quia merentur; erga improbos, ut resipiscant, et ne probabiliter irritati, peius sentiant de religione christiana.

na. Omnia suffert, omnia sperat christiana caritas.  
3 Miserandi nobis magis sunt, quam abominandi. Id  
eo magis faciemus, si recordemur nos aliquando tales  
fuisse, quales illi nunc sunt. Ne aversemur illos, quod  
sunt impii, sed adnitamur, ut desinant esse quod  
sunt, et incipiant nostri similes esse. Quis nos avoca-  
vit a caecitate nostra? Nonne clementia gratuita Dei?  
Eadem potest et illos immutare, quum volet. Quam-  
quam enim nos, qui ex Judaismo venimus ad evangeli-  
um, non coluimus idola, tamen eramus olim gravi-  
bus alioqui vitiis obnoxii, stulti, inobedientes, erran-  
tes, servientes cupiditatibus ac voluptatibus variis, ple-  
ni invidiae, pleni malitiae, simultatibus ac mutuis odiis  
decertantes. His, inquam, tantis malis, etiam sub  
lege mosaica eramus obnoxii. Porro quod nunc pro  
stultis et vecordibus sobrii sanique sumus, quod pro re-  
bellibus, mites ac tractabiles, pro errantibus, veritatis  
gnari, pro mancipiis cupiditatum ac voluptatum, spon-  
tanei cultores iustitiae, pro malitiosis, simplices ac be-  
nigni, pro invidis, benefici, pro osoribus, etiam iis  
bene volentes, qui nobis male volunt, non debemus le-  
gi, neque nostris meritis, sed gratuitae bonitati Dei,  
per quam cupimus, si fieri possit, omnes nobiscum gau-  
dere communi salute, utque omnibus illucescat evan-  
4 gelii veritas, quemadmodum illuxit nobis. Nam an-  
tea caeci versabamur in tenebris, quemadmodum et il-  
li. At ubi iam patefactum est per evangelii lucem,  
5 quam ingens esset bonitas, quantaque erga cunctos ho-  
mines caritas Dei patris, qui est auctor nostrae salutis,  
tum demum depulsa caligine vitae prioris, veram salu-  
tem sumus adepti, non ex observatione legis, quae su-  
am quamdam habebat iustitiam, sed parum efficacem  
ad praestandam salutem, verum ex gratuita sua miseri-  
cordia. Siquidem per lavacrum sacrum renati sumus  
et infiti Christo illius filio, perque huius spiritum inno-  
vati, desivimus esse carnales, ac coepimus esse spiritua-  
6 les. Quidquid igitur sumus, id totum illi debemus,

qui spiritum suum, quem lex dare non poterat, affatim effudit in nos nihil promeritos, effudit autem per Iesum Christum servatorem nostrum, per quem nobis omnia largiri placuit, ut illius beneficio purgati a peccatis pristinis, bonis operibus nitamur esse idonei, qui capiamus haereditatem vitae immortalis, cuius certam spem nobis facit evangelica doctrina. Posteaquam igitur et nos aliquando fuimus miserabiles, solaque Dei misericordia liberati a peccatis, speramus aeternae vitae coronam cum Christo, debemus et nos aliorum misereri, ac modis omnibus adniti, ut et illorum miseretur Deus. Haec pro iudaicis fabulis inculcet episcopus christianus. Sunt enim certa et indubitata. Nihil autem superest nobis, nisi ut ipsa deinceps vita beneficio Dei respondeamus, alioqui nihil nobis profuerit evangelia professio. Quare de his quoque confirmes et asseveres volo, quae vehementer ad rem pertinent, ut qui semel crediderunt Deo, quod illius gratuita clementia sint redempti a peccatis, quod is immortalitatis coronam daturus sit omnibus, qui pietate vitae Iesum Christum pro viribus student aemulari, sic vitam transigant, ut et professione et tantis promissis non indigna videatur. Declarabunt autem se vere christianos, non si execrentur, aut maledicant ethnicis aut Judaeis, sed si benefici sint erga omnes, si misericordiae affectu studeant omnibus opitulari. Haec enim non solum ornabunt et commendabunt evangelicam professionem, ut per se honesta, verum etiam ut utilia ad pertrahendum alios ad Christum, et ad opitulandum iis, qui premuntur aliqua calamitate. Christianismi caput est, prodesse omnibus, et beneficiis vincuntur ac mansuescunt et ferae. De his igitur ita differes, non tanquam addubitans, quemadmodum faciunt isti, qui omnia vocantes in quaestionem, nihil sibi persuasum habere videntur, sed magna vultus fiducia, magnaue sermonis constantia, ut omnes intelli-

gant, tibi persuasissimum esse quod aliis suades. Ex  
**9** his fructus est pietatis. Caeterum stultas et indoctas  
 quaestiones, ac perplexas genealogias, et contentiosas  
 dissertationes, aut pugnas verius \*) de lege mosaica, quas  
 excitant quidam Judaiffantes ad gloriam, ad quaestum  
 suum, tu reiice, velut inutiles ac supervacaneas ad  
 evangelicam pietatem. Quid enim officit ad pietatem,  
 si nesciam, quare Mosi sepulchrum nusquam reperia-  
 tur? An ob id, ne, quod aiunt Judaei, a Magis ex-  
 citaretur? Quot annos vixerit Matusalem? Quoto ae-  
 tatis suae anno Solomon genuerit Roboam? Cur Mo-  
 ses vetuerit vesci carne suilla? Sed haec curiosa tan-  
 tum. At quid prodest quaerere, cur Judaei sangui-  
 nem mustelae tanta cura putent expiandum? aliaque  
 his etiam stultiora. In quibus explicandis quorsum at-  
 tinet immorari eum, qui properat ad praemium pieta-  
 tis? Resecanda sunt ista magis, quam explicanda, et  
 qui haec profitentur ut rem eximiam, increpandi sunt  
**10** potius, quam disputatione vincendi. Si simpliciter  
 errant, admoniti resipiscent, sin destinata malitia pec-  
 cant, ob gloriam, aut quaestum, aut aliam turpem  
 causam, parati erunt et illa tueri, quae sciunt esse fal-  
 sa. Hos ubi semel atque iterum corripueris, ceu fa-  
 ctiosos et insanabiles devita, ne provocati magis no-  
 ceant, quam neglecti, et vertatur in diversum discrimen,  
 ne qui sanari non possunt, monitorem pertrahant in er-  
 rorem. Quorsum enim attinet, frequentius adhibere  
 correptionis pharmacum, si spes medendi non sit? Hu-  
 manus error una atque altera admonitione sanatur.  
**11** Perversitas insanabilis est, et remediis exasperatur.  
 Proinde qui semel atque iterum increpitus pergat nihilo-  
 minus sui similis esse, hunc ut deploratum ac penitus  
 subversum, suo morbo relinquito. Nec est adlaboran-  
 dum, ut illum condemnes, quum ipse suo ipsius iudi-  
 cio sit condemnatus. Si perit, suo vitio perit. Non  
 enim habet, quod praetexat: Insciens erravi, nemo

(\*) Aliae: magis


me monuit. Quid autem facias aegrotō, qui pharmacum reiicit? Fortasse contentus ac neglectus resipiscet. Sin minus, certe minus multos afflabit sui morbi contagio. Est cur cupiam te mihi ad-<sup>12</sup> esse dies aliquot. At nolim id fieri dispendio Cretensium ecclesiarum, quae nuper christianam professionem amplecti coeperunt, eoque magis opus est vigilante praefecto, qui iactis utcumque fundamentis superstruat. Cura igitur, ut Nicopoli me convenias, sed non prius, quam Artemam aut Tychicum istuc misero, pro te meis vicibus fundurum, ne tuus abitus Cretam destitutam reddat atque orphanam. At ne quid verearis, ne me alio profecto frustra huc te contuleris, decretum est mihi, proximam hyemem agere Nicopoli, ea civitas est Thraciae, Zenam olim legis mosaicae professorem,<sup>13</sup> nunc insignem evangelii praeconem, et Apollo virum in evangelica doctrina spectatum, quum isthinc discedere volent, omni cum humanitatis studio deducito, curatoque ne quid illis desit, quod ad necessitatem professionis pertinebit. Si haec<sup>14</sup> humanitatis officia praestantur ab ethnicis, ut hospitem benemeritum honoris gratia deducant, ac viaticum com meatumque suppeditent abeunti, aequum arbitror, ut nostri quoque, qui Christum profitentur, discant talibus officiis uti, verum haec ut benemeritis gratiam referant, non ut illos sua liberalitate locupletent, sed ut quae ad necessarios vitae usus pertinent, suppeditent, quum erit opus. Neque enim convenit, ut quum ii, qui a Christo sunt alieni, tamen natura magistra norint rependere gratiam iis, a quibus beneficio sunt adiuti, christiani steriles et infrugiferi sint erga eos, quorum tantam beneficentiam sint experti. Quotquot hic<sup>15</sup> mecum sunt, salutem tibi precantur. Tu vicissim

isthic saluta meo nomine quotquot nos amant, non affectu mundano, sed evangelica caritate, quam fidei communis professio conciliat. Beneficentia gratuita Dei semper adsit vobis omnibus, Amen.

## PARAPHRASEOS

IN EPISTOLAM PAULI AD TITUM

FINIS.



IN

---

I N  
EPISTOLAM PAULI AD PHILEMONEM  
ARGUMENTUM

P E R  
D E S. E R A S M U M R O T E R O D A M U M

**G**Raeci tradunt, hunc Philemonem genere Phrygem fuisse, quam nationem intractabilem ac servilem esse vel graeco proverbio iactatum est: Phryx plagis emendatur. Quem tamen Paulus ob pietatem et officia in sanctos, inter praecipuos habuit amicos. Huius servus Onesimus Romam profugerat non sine furto, quod fere servi solent. Illic audito Paulo, qui tum in vinculis erat, evangelicam doctrinam amplexus est, ac Paulo servivit in carcere. Verum ne quid herus ob servi fugam animo cruciaretur, remittit eum, sed miro studio miraque civilitate servum et fugitivum et compilatorem domino reconcilians, se interim sponso-rem offerens, depensus si quid ille suppilasset in fuga. Scribit autem e vinculis per dictum Onesimum, quem et filium vocat.

A R G U M E N T I F I N I S .

---

I N